

FK 151  
15

*Acti in usus & fundus qui casu in hanc irremediabilem  
malum confiscationem posteaquam feudum natus est  
inadit, propterea eodem iurari mercator.*

X 231 67 89

II R  
3076

AUCTORITATE  
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS  
IN  
ILLUSTRI PHILYREA  
AD  
PUBLICAM VENTILATIONEM  
DISPUTATIONUM XVIII.  
CONTROVERSIARUM  
SELECTARUM  
JURIS CIVILIS,

DIE MERCURII  
HORIS ANTEMERIDIANIS  
SUSCIPIENDAM  
IN COLLEGIO ICTORUM  
GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS  
JURIS CULTORES  
OFFICIOSE ET PERAMANTER  
INVITAT  
D. LÜDER MENCKE,  
PROF. PUBL. SUPREMÆ CURIÆ PROVINC.  
ET FACULT. JURID. LIPS. ASSESSOR.

LIPSIÆ,  
Literis IMMANUELIS TITII,  
ANNO M DCC III





Uemadmodum Eloquentia hominum voluntates fortissime impellit, amorisque flammam accendit, blanda vi ad animum intima penetrantes, id quod Agamemnoni occasione optandi decem Nestores, non Ajaces, dedit; ita, quæ suum deseruit officium, lingua & vice orationis melle dulcioris, torpet ac ne singulas quidem voces sibi extorqueri patitur, graves de infelici fato querelas parit, & à magna vitæ suavitatis portione hominem excludit. Interim ars, virium naturalium æmula, hæsitantis linguæ vitia haud raro emollit, exemplo Demosthenis, qui, cum ira balbus esset, ut ejus artis, cui studeret, primam literam (a) non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius eo locutus putaretur. (b) Quoties vero impedimenta loquelæ nulla superari queunt industria, & artis medelam, in leniendo vitio occuparam, respiciunt, infixæ mali magnitudo pertinaciam inexpugnabilem prodit afflictivæ patientiam duro necessitatis indeclinabilis vinculo onerat, quo cum liberare laborantem non licet, unicum in æquissima commiseratione quæri & inveniri potest solatium. Quisquis igitur alienæ calamitatis justus est æstimator, dum suspiria sub duro hoc impedimentorum jugo gementium intelligit, Cœli in se formando conservandoque Clementiam veneratur & mitigandæ alterius miseriæ intentus, impigro levat subsidio gravissimæ crucis moli propemodum succumbentes. Ac proinde, quoties vocis auriumque usum simul casus abstulit fortuitus, asperiores videntur, quàm res exigat, attenuatæ conditionis censes, qui tales iuribus quæsitis absque legum suffragio exaunt. Certari enim inter Jctos votorum diversitate deprehendes; *An mutus & surdus, qui casu in immedicabilem hanc malorum conso- ciationem, posteaquam feudum nactus est, incidit, propterea eodem privari mereatur.* Haud pauci doctorum differentiam constituunt inter feudum novum & antiquum, amissionem feudi in antiquo locum haud invenire, in novo tamen contententes. a. II. f. 36. j. I. f. 6. §. mutus. (c) alii vero distinctionem istam haud ferunt, vasallum, qui cum perpetuo muti & surdi vitio conflictatur, feudo simpliciter privandum esse rati. (d) Sed quoniam in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est quam turius. l. 192. §. 1. ff. d. R. j. l. 3. ff. de his que in testam. del. salvo aliter sententium iudicio, pro feudi jure muti & surdi huic conservando militare licebit. Cui sententiæ, satis frequenti assensu Jctorum munita, (e) non una patrocinator ratio. Primo enim, dum Vasallo præstare servitia recusanti justissimè beneficium auferri tradit textus II. f. 24. §. item. cessare eam justitiam indicat, si Vasallus ideo non servivit, quia non potuit, atque tunc ipsum non amittere feudum

(a) Rhetorices scilicet.

(b) M. Tull. Cic. lib. 1. de Oratore. conf. exempla mutorum & surdorum, qui ex motu labiorum voluntatem aliorum inelixerunt, apud Bartol. in l. 1. pr. ff. d. V. O. n. 7. & Brunnem. ad l. 10. C. qui res. fac. poss. n. 8.

(c) Jacob Alvarott. de feud. in text. II. f. 36. n. 1. Baldus in l. feud. d. text. n. 2. Joh. Anton. de S. Georgio in d. text. n. 1. Udalt. Zas. in l. feud. part. 8. n. 68. Johann Schneidewin d. feud. Part. 6. de Success. descend. mascul. n. 34. Valentin. Förster. de Success. l. 4. c. 23. n. 62. Calp. Biefch. ad text. II. feud. 36. verb. octavo. Hubert Giphon. Ex. feud. 2. n. 50. seq. Joachim. Schepliz. Promt. Jur. Civ. & feud. d. success. feud. t. 4. §. 12.

(d) Matth. de Afflictis ad text. I. f. 6. §. mutus. n. 10. Andr. de Isernia ad d. §. mutus. it. verb. & ad dominum. n. 5. §. Franc. Duaren. in Consuet. feud. c. 9. n. 15. Johann. Thomas de Marinis de Gener. & qual. feud. t. 2. n. 133. 138. Francisc. Sonsbecc. d. feud. Part. 12. n. 134.

(e) Conf. Henr. à Rosenthal. d. feud. c. 7. concl. 27. n. 19. 20. Hart. Pilt. l. 2. q. 32. n. 37. seqq. Fried. Schenk. de feud. l. 1. t. 6. §. mutus. n. 4. Hermann. Vultejus d. feud. l. 1. c. 9. n. 64. verb. concludendo. Franc. Hotomann. ad text. I. f. 6. §. mutus. verb. retinere. Joh. Fried. Rhetius Comm. in Jus Feud. Comm. d. t. & §. n. 5. seq. Schulz. Synopf. feud. c. 8. n. 105. Carpz. P. 3. C. 28. d. §. ubi præj. Struv. S. 7. E. c. 9. apb. 10. n. 5. Horn. Ex. feud. 12. th. 33. Joh. Schönert. Diss. feud. lib. 1. Diss. 10. th. 125. Niell. Diss. feud. 5. th. 5. lit. b. Joh. Zabel. Inst. Feud. Exerc. 8. concl. 3. lit. b.

dum decidit. Quod manifestam præbet ansam pro surdo mutoque loquendi, quem cumulata calamitas haud deseri juber: nam aliàs, qui sensu tam acerbi casus premitur, à feudi emolumentis exclusus, vice exoptati solaminis, in detrimentum gravissimum incidere, afflictusque vehementia vitii novos afflictionis stimulos experiretur, absq; feudalis constitutionis vel consuetudinis autoritate, cum tamen, deficiente legum dispositione, nemo sit feudo privandus. *a. N. 2. c. 3. verb. sicut enim. j. l. 14. §. 14. ff. de religiof. (f)* Quoniam igitur parum aut nihil diversitatis inter eos, quos lentus & perpetuus à servitiis excludit morbus senectusve, & conjuncto hoc malo laborantes, intercedit, animique languor vel corporis imbecillitas fato contingens jura quaesita auferri non patitur. *a. l. 44. §. 6. ff. d. usurp. & usucap. verum eadem potius augeri imperat a. l. un. C. quand. imper. inter pupill. aliasq; miser. pers.* Vassallus autem Jurejurando fidelitatis ad possibilia se tantum obligavit. *II. f. 6. &* propter fortuitos eventus, facultate serviendi in propria persona destituito nihil imputari. *a. l. 161. ff. d. R. J. nec idem absque culpa præcedente feudo exui potest. I. f. 21. ipse infortunii rigor impedito justam excusationem largietur. Secundo non est novum, ut, quæ semel utiliter constituta sunt, durent licet ille casus extiterit, à quo initium capere non potuerunt. l. 85. §. 1. ff. d. R. J. a. l. 2. ff. d. itin. act. priv. l. 18. §. 1. ff. de constitut. pecun.* Itaque semel valide acquisitum jus feudi, cum Vassalli servitia in valetudo remoratur, haud intercedit, illique non minus, quam impuberi aut justa causa impedito, per substitutum serviendi potestas dabitur. *II. feud. 26. §. Si quis. s. j. II. f. 55. §. firmiter.* Tertio hæc interpretatio Juris abmeruit calculum Jure Saxonico communi *LR. l. 1. a. 4. Lehnd. c. 30. verb. Man mag auch niemand sein Lehn nehmen deshalb/ daß er blind ist oder wird/ oder eines Gliedes an seinem Leibe nicht hat/ noch auch sonst um feinerley Krankheit oder Gebrechens willen/ nec non Feudali Alemannico. c. 63. (g)* quod cum Germania mores illius æquiritatis, in privatione feudi attendendæ. *II. f. 24. §. 2. verb. æquiritati obsecundare solitus, tenacissimos fuisse evincat, miseria humanae solliciti contemplatores non facile in eam abripiuntur opinionem quæ casu fatis luctuoso infelices per bonorum jacturam faciat infeliciores. Atque in hanc sententiam respondit Facultas Juridica Lips. ad consultationem D. S. A. Mensæ Martio anni presentis. Nunc considerari fas erit fundamenta, in quibus suæ opinionis cardinem collocant contrarium defendentes. Illi autem in duas abeunt classes; siquidem alii Vassallum, superveniente hac calamitate, tantum à novo, alii ab antiquo etiam feudo, eundem expellendum esse, judicant. Priores ad tex. *I. feud. 6. §. mutus. in primis confugiunt, ejus sententiam soli feudo, quod novum est, convenire existimantes, & in ratione diversitatis inquirenda laborantes. Sed quoniam in eo plerique conspirant, quod vocabulum *retinere d. t.* respiciat mutum, qui spe successione possessionem feudi apprehendit, eamq; suo jure tueri conatur, ceu ex *a. II. f. 36. j. 11. f. 55. §. pr. aerea. & alimentis muto decretis colligitur, quæ etiam sperata successione in feudum antiquum excidenti debentur, nihil prohibet, quo minus textum de feudo antiquo intelligas & præcipue surdum ac mutum natura, cui potissimum applicare licet verba: qui nullo modo loquitur, exprimi censeas. Neque enim clausula *§. mutus: his omnibus casibus feudum amittitur & ad Dominum revertitur, indicio est de novo feudo actum esse, nam quia hic §. generalitate sua ad plures, quam unum hunc casum, pertinet, proximeque præcedens §. de feudo antiquo, cujus successio masculis, exclusâ fœmina, tribuitur, tractat, conjectura inde haud obscura enascitur, de veteri feudo agi; agnatos autem non extitisse probabile est, atque cum vetus etiam feudum ad Dominum revertitur. Caterum ratio diversitatis, cur Vassallus, qui mutus & surdus esse incipit, feudo non antiquo, novo tamen, privetur, in eo constituitur, quod personam acquirentis respexerit, illiusque servitia intenderit Dominus, adeoque, cum Vassallus servire nequit, novum faci-****

(f) Menoch. de Arb. Jud. Quæst. l. 2. cas. 276. n. 16. Bald. in Arb. ex testamento. C. de secund. nupt. n. 5.

(g) Joh. Schilter. ad Jus Alemann. Feud. ad c. 63. §. 5.

9X III 3076

facilius, quam antiquum, amittatur, quippe quod ex pacto primi acquirentis & investiturae facta, citra personam certae considerationem, est quassitum. Verum quia feudum est beneficium II. f. 23. cujus benignissima fieri debet interpretatio, & qui illud dedit, fructum liberalitatis, ob fatalem casum, accipienti eripere voluisse non creditur, ut affectum plenissime testaretur; praeterea circa obligationem Vasalli ad servitia personalia nihil discriminis inter feudum novum & antiquumprehenditur, frustra in extendendo vasalli vinculo hac in parte laboratur. a. N. 13. c. 5. In posteriorem JCtorum classem concedentes statuunt, antiquum quoque feudum a Vasallo, ob superveniens muti & surdi vitium, amitti, urgente conditionem Vasalli, ad praestanda servitia idonei, locum fecisse beneficio, & deficiente ea beneficium expirare. l. 68. ff. d. R. 7. fed Vasalli conditio ad servendum idonea est indulti feudi saltem causa sine qua non, cum igitur ea interit, jus feudi non illico corruet, nam ista qualitas ad feudi acquisitionem exigitur, ad constituti feudi conservationem non aequae necessaria est. a. II. f. 24. §. 2. 26. §. 4. 55. §. firmiter. Atque ita evolvi potest intricata textus II. f. 36. sententia, cujus argumentum declarat, imperfecte sensibus utentes, propter istam, quae accidit, muti & surdi qualitatem feudum jure successione retinere non posse, eoque intuitu clericos foeminasque iisdem exaequat: de acquirendo igitur per successionem feudo d. l. r. at de illo semel acquisito auferendo neuriquam, quaeritur. conf. R. N. l. i. a. 4. Lehnd. c. 30. Ut taceam, hosce mutos surdosque consilio, scripto, aliave cura haud raro edendis fidei suae speciminibus sufficere. Reliquum est ut, instituti rationem habiturus, Studiosos optima: indolis industriaeque constantis, judicii virtutem in Jure Contraverso tentaturos, sistam, quorum laudatissima adjuvissae desideria volupe mihi est. Scilicet Viri Juvenes Nobilissimi, quorum Nomina haec pagina recenset, periculum vitium, in disceptando de jure, facturi, qua studiis haectenus invigilaverint cura re ipsa declarandum, animumque ad fori certamina praeparandum esse, duxerunt. Itaque Disputationes meas XVIII. Selectarum Contraversiarum Juris Civilis eo, quem Sors dedit, ordine sub examen vocaturi sunt

DOMINI

- Daniel Lozbeck, Weisenburgo-Noric. I. II. IX. X. XVII. XVIII.
- Johann Gottlieb Welsch, Lipf. III. IV. XI. XII.
- Gottfried Ludwig Mencke, Lipf. V. VI. XIII. XIV.
- Jacob Born, Lipf. VII. VIII. XV. XVI.

Sicuti vero mutua Respondentium & Opponentium munera gerent, ita omni cura al-laborabunt, ut partes susceptas pro virili exornent, Patriae, Familiae ac Patronorum expectationem adimplerint. Pro communi itaque studio, quo ad Themidos Sacerdotium contenditur, Vos, Commilitones dilectissimi, ad Exercitia haec Academica iis, qui è Valvis publicis indicabuntur, diebus Mercurii habenda audiendaque invito. Quod si enim gratissima affectus Vestri aurâ ad portum solidae eruditionis adspirantibus velificati fueritis, ex frequenti Praesentia Vestra singuli auspiciatissimum capient augurium atque constantissimum fovebunt desiderium, promptissimis obsequiis devinctam hoc officio mentem testificandi. P. P. Dominica Rogate.

A. M DC CIII.



910

FR. 131  
15

*Ab initio & fides qui caute in hac juridicalitem  
materiam conuocacionem posse quam eundem nactus est  
inadit, propterea eundem misari meretur.*

II R  
3076

X 2316789

AUCTORITATE  
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS  
IN  
ILLUSTRI PHILYREA  
AD  
PUBLICAM VENTILATIONEM  
DISPUTATIONUM XVIII.  
CONTROVERSIARUM  
SELECTARUM  
JURIS CIVILIS,

DIE MERCURII  
HORIS ANTEMERIDIANIS  
SUSCIPENDAM  
IN COLLEGIO ICTORUM  
GENEROSISSIMOS ATQVE NOBILISSIMOS  
JURIS CULTORES  
OFFICIOSE ET PERAMANTER  
INVITAT  
D. LÜDER MENCKE,  
PROF. PUBL. SUPREMÆ CURIÆ PROVINC.  
ET FACULT. JURID. LIPS. ASSESSOR.

LIPSIÆ,  
Literis IMMANUELIS TITII,  
ANNO M DCC III.

